



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LXIX. De testamento imperfecto, Legitima, & conferendis in eam à
filio post mortem patris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

D. 3. q. 17. p. 8. §. 2. Contraria tamen opinio, quòd diminutio faciendà sit ex omnibus legatis, tam profanis, quàm piis, satis probabilis est, quam tenent Bonac. l. c. Bart. in *Auth. n. 4. C. ad leg. falcid.* Sylvest. Peregrin. & alii. Rationem danti tum quia de privilegio legati pii in hoc casu non satis constat; tum quia juxta *l. privilegia ff.*

de privil. credit. in concursu Creditorum habentium actionem personalem circa satisfactionem, servanda est æqualitas inter omnes creditores, cum par videatur ratio, & Jus. Id, quod teste Molfesio *tom. 1. de consuetud. post part. 7. consil. 13. num. 5.* usu receptum est in tribunalibus.

CASUS LXIX.

De testamento imperfecto, Legitima, & conferendis in eam à filio post mortem patris &c.

Cùm Titius tres filios ex Bertha uxore suscepisset, Petrum videlicet, Paulum, & Joannam, mortuâ Berthâ Uxore Petro mille fl. extradit pro patrimonio, & matrimonio contrahendo, & totidem filiæ Joannæ pro dote, præterito filio Paulo jam sacerdote, & Parocho; Residuum pecuniarum cum Molendino sibi reservat, pro commoda sua sustentatione. Post cursum 5. annorum moritur etiam Titius pater, post cujus mortem quam subitanè oppetiit, scheda quædam ejus manuscripta, sed non subscripta, nec teste firmata, sine appposito die, & anno in quadam cista reperta est hujus tenoris: Quòd, cum filio Petro, & filiæ Joannæ patrimonium jam extradiderit, pro filio verò Paulo sacerdote, in studiis versante, sumptus fecerit, ita de re sua statuatur, ac disponatur: ut ex pecunia post mortem residua expensæ funerales persolvantur, & centum sacra in suffragium animæ suæ legantur; Molendinum verò alteri elocetur, & ex constituta annua pensione Anniversarium quot annis celebretur; residuum verò annuæ pensionis in usum pauperum sui pagi erogetur. Ubi à Paulo quaesitum fuit.

Hh h 2

QUÆR. I.

QUÆR. I. An reperta hæc scheda pro valida habenda sit, anue bona à patre post mortem relicta ad filios ab intestato devolyantur?

QUÆR. II. An filius Paulus sacerdos non obstante ea scheda legitimam sibi vindicare possit, & an sumptus in studiis facti in legitimam sint conferendi?

QUÆR. III. Quo jure debeat Legitima, & quanta?

391 **A**Nte casus resolutionem sciendum est, inter testamenta alia esse privilegiata, in quibus scilicet vel nulla omninò juris civilis solemnitas requiritur ad valorem, vel non tam plena, & perfecta, qualis in aliis non privilegiatis postulatur. Inter ea, quæ sunt privilegiata, primum locum obtinent testamenta, & legata ad pias causas facta, prout statuitur, ac definitur, *C. relatum 1. de testam.* & tenet communis DD. sententia cum Panormitano *in cit. C. relatum, n. 7.* Covar. de *testam C. cum tibi, n. 12.* Bart. in *l. 1. C. de sacros Eccl. & l. si quis Titio ff. de legat. 2.* Tiraq. de *privileg. causæ pia privileg. 3. & 164.* Molin. *D. 134. &c.* Illud autem dicitur legari, & relinqui in causam piam, quando relinquitur in bonum propriæ animæ, ut quando aliquid relinquitur in captivorum redemptionem, in pauperum, vel Religiosorum, quamvis consanguineorum, sustentationem, in conversionem infidelium, & hæretico-

rum, in suffragia mortuorum, in commune bonum spirituale patriæ, vel quando aliquid relinquitur Ecclesiis, Monasteriis, Contraternitatibus, aliisque piis, & sacris locis, vel in cultum, & honorem sanctorum &c.

Denique quidquid præcipuè, ac directè fit Dei, finisque spiritualis intuitu, ad gratiam, vel gloriam coram Deo promerendam, vel in satisfactionem pro propriis, vel alienis peccatis &c.

Ratio autem, cur in dispositionibus ad pias causas nulla omninò civilis legis, aut consuetudinis solemnitas requiratur, sed solo naturali, divino, ac gentium omnium jure dispositio ad pias causas facta secundum jus Canonicum subsistat, est; quia jura sæcularia causis Ecclesiasticis, sive ad spirituales hominis finem, & spiritualem salutem directè spectantibus, nullum præjudicium asferre possunt, nisi à summo Pontifice appro-

probata, & recepta sint juxta C. *Ecclesia de Const.* siquidem Summus Pontifex plenissimam habet potestatem in Principes Sæculares, quantum finis supernaturalis, bonumque animarum spirituale postulat; cum ergo solennitates testamentorum jure civili sint introductæ, ac requisitæ; hæ in causis piis, & Ecclesiasticis locum non habent, sed in iis standum est jure naturali, & gentium in bonum animarum, prout statuit Alexander III. C. *relatum cit.* atque aded quod attinet ad causas pias tam in testamento, quam legato sufficit, quocunque signo externo voluntatem defuncti declaratam esse; quia jure naturali, ac gentium plus non requiritur. Ex quibus sequitur.

392 Ad 1. Q. Dicendum esse, dispositionem illam Titii in Scheda repertam, utpote factam in causas pias subsistere, & pro valida habendam esse, siquidem certò constet schedam illam Titii manu scriptam fuisse; prout in posito casu certò constabat, fatente etiam filio Paulo Sacerdote in illa Scheda præterito; validum quippe est testamentum, & quæcunque ultima voluntas ad causas pias manu testatoris scripta, etsi nullus testis adhibitus fuerit, modò sufficienter constet, esse testatoris scripturam, prout docent Covar. l. c. Molin. l. c. Tiraq. *privil.* 4. & 2. Less. l. 2. c. 19. *dub.* 2. aliique communiter, & constat ex dictis, siquidem in

testamento, & legato ad causas pias nulla requiritur juris civilis solennitas, sed solo naturali, divino, ac gentium omnium jure subsistit: Nec interventus testium requiritur ad substantiam, sive solennitatem testamenti; licet sæpè duo, vel tres requirantur, non quasi sine eis in se non sit validum, sed solum ad faciendam fidem, & ad probandum in foro exteriori, ut in eo pronuntietur validum, de quo solo foro Sermo est in C. *relatum*; ubi Alex. III. Pontifex mandat Judicibus, *quatenus si causa talis (super relictis Ecclesia) ad eorum examen deducta sit, eam non secundum leges, sed secundum decretorum Statuta tractent, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis: quoniam scriptum est Deut. 17. In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.*

Quare id, quod Stando in solo jure naturali sufficit, ut dispositio aliqua in se valida sit, sufficit, ut hujusmodi testamenta, & legata ad pias causas valida sint in foro conscientia. Quocirca quando hæredibus certò constat, voluntatem testatoris fuisse, ut aliquid in piam causam expenderetur, esto voce solum id reliquerit, nec possit in foro externo sufficienter per testes probari; in foro tamen conscientia tenentur id solvere, ac satisfacere; non enim probatione opus est, quando de veritate constat. Ob eandem

hanc rationem, si aliquid alicui datum esset occultè à testatore, ut illud post testatoris mortem expenderet in aliquam piam causam, vel ut sibi tanquam pauperi applicaret, valida esset talis dispositio in foro conscientiae, tenereturque talis juxta mentem testatoris id expendere, esto nullus adfuerit testis, nullaque ea de re confecta fuerit scriptura. Idem DD. complures affirmant de casu, quo moriturus cœpit condere testamentum, aut codicillum, & morte præventus non potuit illud ad finem perducere; ubi licèt secundùm alia non pia irritum sit, valet tamen quoad pia legata, quæ in sua illa imperfecta dispositione jam expresserat, nec obest quòd voluntatem suam mutare potuerit; nam cum nullam re ipsa mutationem significaverit, aut fecerit, naturali pariter, ac Canonico jure firma manere debet, ut docent Bartol. *l. in testam. ff. de fidei commis.* Covar. *l. c. n. 14.* Abb. *in c. 1. & penult. de success. ab intestato.* Tiraq. *privil. 7.* Molina *l. c.* Laym. *tr. 5. c. 2.* aliique.

393 Ad 2. Q. R. Affirmativè; pater enim debet legitimam filio *l. scimus 36. §. illud præterea 2. ibi ne filius fraudetur debito naturali, C. de in off. test.* quâ proin sine legitima causa eum privare non potest, adeò, ut si in minori quantitate sit institutus, quàm esset legitima ei debita, eidem conce-

datur actio ad supplementum usque ad integram legitimam portionem; non tamen actio inofficiosa adversus testamentum, uti post *l. omnimodo C. de inoffic. test.* expressè habetur in *Authent. ut cum de appell. cognos. §. hac autem disposuimus, his verbis: si qui hæredes fuerint nominati, etsi certis rebus jussi fuerint esse contenti, hoc casu testamentum quidem nullatenus solvi præcipimus: quid quid autem minus eis legitima portione relictum est, hoc secundùm nostras alias leges ab hæredibus impleri.* Quod si tamen parens causam legitimam ingraticudinis addidit, cur velit, ut non plus accipiat, actio ad supplementum non conceditur juxta *citt. leg. omnimodo & c.* Dixi causam legitimam; nam ex præscripto *Novell. 115. c. 3.* ut filius possit à patre ex hæreditariis requiruntur. 1. Ut fiat ex causa justa: 2. Ut illa causa difertè, & in specie in testamento exprimatur. 3. Ut causa exhæreditationis ab hærede in testamento instituto probetur. &c. Porrò legitimæ debitæ descendentibus nullum gravamen, modus, conditio, dilatio apponi potest, quòd si apponatur, licèt filio non concedatur querela inofficiosa ad annullandum tale testamentum, attamen gravamen, modus, conditio, dilatio sunt ipso jure nulla, non secùs, ac si non essent apposita, ut tenet communis DD. apud, & cum Ant. Gomez *1. tom. variar. resolut. c. 11. n. 24.* & expressè habetur, *leg. quoniam*

in priorib. C. de inoffic. test. l. 17. tit. 1. & l. 11. tit. 4. part. 6. l. scimus 36. §. cum autem 1. C. de inoffic. test. idque meritò; cum enim Legitimæ portio legis dispositione potius, quàm iudicio testatoris definita sit, conveniens non fuit, eam istius arbitrio gravaminis adjectione deteriore reddi.

An autem Paulus Sacerdos sumptus tempore Studiorum à se factos computare debeat in suam legitimam, videtur negativè respondendum, eò quòd filius sumptus, quos ex voluntate patris studiis vacans fecit, non teneatur mortuo patre afferre ad partitionem cum aliis fratribus, sed solvendi sint ex communi massa bonorum paternorum, ut docent Navarr. in *Man. c. 17. n. 160.* Molina *D. 239. Ant. Gom. ad leg. 29. Taur. n. 16.* Sylvest. *V. pecul. 2. q. 2.* Bartol. in *tr. de duob. fratrib. n. 16.* & l. 1. §. nec castrense n. 8. ff. de collat. bonor. Lopez aliique, quibus consentit l. ult. ff. de petit. heredit. Nisi filius, (ut limitat Bartol.) fortè habeat bona propria, ex quibus sustentetur.

Ratio est, (ut alibi à nobis insinuatum est) quia hi sumptus sunt loco alimentorum, seu expensæ ad patrem spectantes, qui filium in studiis ex ejus consensu versantem sustentare tenetur, quique potest, si velit, uni filiorum splendidiorē, melioremque sustentationem

suppeditare, quàm aliis: imò secundum Molinam l. c. alimenta, quæ filiis in studiis versantibus præstantur, sunt privilegiata ut quasi castrensia bona ad eos pertinere videantur, eò quòd scientiæ in commune Reipublicæ bona cedant.

Nihilominus (præscindendo interim ab aliis rationibus, quas pro se Paulus allegat) R. expensas à Paulo in studiis factas conferendas esse in legitimam portionem, saltem quoad majorem earum excessum, quem in studiis versans fecit, & domi manens non fecisset; nam licet hujusmodi expensæ non sint conferendæ juxta superiùs dicta, id tamen limitandum est, ut notat Gom. l. c. nisi pater contra protestetur, & expressè velit, ut conferantur in legitimam, prout liberè velle potest; cum non teneatur pater filium mittere ad studia, præscindendo ab aliquo alio pacto; atqui ex circumstantiis casus constat de contraria voluntate patris volentis eas conferri in sua ultima voluntate in illa scheda relicta id expresserit, dum dixit: Quòd, cum filio petere, & filia Joannæ patrimonium jam extradiderit; pro filio verò paulo sacerdote sumptus pro studiis fecerit, cum re sua ita disponat &c. ubi in hac ultima sua voluntate sumptus illos pro legitima assignat, nulla ampliùs facta mentione de proposito, seu promissione prius ad protestationem filii

fili præteriti facta, aliquid Paulo suppeditandi pro suppellectile comparanda, si Parochiam obtinuerit. Aliud esset, si de iis sumptibus in illa sua ultima voluntate mentionem non fecisset, atque adeò non constaret de mente testatoris.

Dixi præscindendo ab aliis rationibus à Paulo adductis, nam si Paulus à potiori victum, & vestitum per suam industriam, & merita ex conditionibus & Alumnatu ipse sibi comparavit, ut ille asserit, & ratio allegata, cur ita pater disposuerit, nulla sit; hæc utique in considerationem, & computum venire poterunt.

Dixi 2. saltem quoad majorem earum excessum, quem domi manens non fecisset, eò quòd pater plus cum eo in studiis versante insumpserit, quàm domi aliàs fuisset insumpturus; nam pater gratis tenetur præstare filio ordinaria alimenta, quando ea aliunde non habet, ut notat cum aliis *citt. Gomez* quæ proin, utpote aliàs debita, in legitimam computari non poterunt.

395 Ad 3. Q. Quo jure debeatur legitima? R. Liberi, & parentibus, saltem quoad substantiam deberi juræ naturæ; filiis quidem à parentibus in alimenta, parentibus verò à filiis titulo pietatis, & gratitudinis, si quidem parentum hi filii

sine propriis filiis decedunt. De filiis constat ex *citt. l. scimus 36*. De parentibus patet ex *C. si pater 1. h. t. in 6*. Et de utrisque ex *Novell. 1. princ. §. primum*, 2. ubi Imperator ait, filiis, nepotibus, patribus, & matribus Legitimam deberi secundum naturam. Ad fratres quod attinet, non tenetur frater fratrem instituere, sed eum præterire impunè potest, excepto casu, quo frater, fratre germano præterito, hæredem instituit personam turpem, cujusmodi sunt meretrices, Concubinarij, Lenones, mimi, filii Presbyterorum, adulterini, incestuosi, & quocunque coitu à legibus damnato procreati. Quo in casu jure duntaxat civili legitima debetur, & proposita à fratre querelâ inofficiosi, ejusmodi testamentum rumpi potest, *leg. fratres 27. C. de inoffic. testam. D. dñi* est supra Legitimam filiis & parentibus jure naturali, saltem quoad substantiam deberi; nam determinatio quantitatis à jure civili statuta est, & idcirco Legitima à legibus etiam appellatur. Jure autem antiquo Legitima erat quadrans, seu quarta pars substantiæ defuncti, *§. sed hæc 3. & §. fin. instit. de inoffic. testam.* Sed jure novo hæc portio aucta est, ita ut modò triens, & aliquando semis debeatur, *Auth. novissima C. de inoffic. testam. & Novell. 18. cap. 1.* Et filiis quidem ita, ut triens iisdem debeatur, si quatuor sint, vel pauciores; semis autem, si quinque

que sint, vel plures, citt. Auth. & proin plus non debetur, quàm
Novel. Ubi tamen excipiuntur quadrans juxta dispositionem
filii adoptivi, quorum portio legi- juris antiqui ita
tima nullo jure aucta est, quibus statuentis.

CASUS LXX.

De filiorum expensis, & donationibus in portionem hæ- reditatis conferendis.

CELsus Juvenis post absoluta sua studia, & peragratas ex con-
sensu patris varias peregrinas Regiones in patriam tandem
revertitur, & ad lauream Doctoratûs Juridici publicè promo-
vetur, quam adeptus apud patrem instat, ut pro se filio Offi-
cium, tunc fortè vacans, à Magistratu emat. Pater oportuna
hac occasione usus Officium pro filio emit, & post sex men-
sium spatium è vita excedit, quo mortuo tres superstites fra-
tres paternam hæreditatem inter se se dividunt.

*QUÆR. I. An impensa à filio ex consensu patris factæ in gradus Academicos,
studia, & lustrationem peregrinarum Regionum post mortem patris con-
ferende sint in Legitimam, seu hæreditatis portionem cum aliis fratri-
bus?*

*QUÆR. II. An sumptus, quos pater ad comparandum filio aliquod Officium
expendit, conferendi, ac computandi sint in portionem hæreditatis?*

*QUÆR. III. An, & quales donationes filio à patre factæ in portionem hæ-
reditatis conferende sint, ac computande?*

396 **A**D I. Q. Prædictas expensas conferendas esse, (est autem collatio bonorum secundum Treutlor. vol. 2. d. 17. th. 1. rei pro-
R. P. Leonardelli Soc. Jesu. priæ in commune illatio, ut hære-
ditati communi permixta inter om-
nes cohæredes æqualiter divida-
tur) colligi videtur ex Nov. 18. cap.
Iii 6. &